

## De verbis latinae linguae auxiliaribus Spec. I.

**P**atrum memoria receptum est, verbum, a quo solet coniugationes pueritia auspicari, anomalum vocari auxiliare, contraque poni, quae pluscula ob inopiam vernaculus sermo perficiendae adhibet verborum flexurae. Verum accuratius si quis attenderit, latius aliquanto cognomentum illud patere videbitur, quam quo unum quo in passivis praeterita Latinienses circumloquebantur, insigniatur verbum pusillum. Namque eam esse apparet auxiliarium potestatem, ut alterius vocabuli quasi fulmina quaedam atque adminicula opitulentur ad explenda hiantia sententiarum. Illud procul dubio intelligitur, cum ad Ruddim. II. p. 233. disputatur, verba cupiditatis, voluntatis, studii auxiliarium numero tribuenda esse. Quorum quum triplicem reperiam esse rationem, primam eorum, quae aut cum altera orationis particula coniuncta unam, cuius vel exstet nota vel cogitetur, efficiant notionem, aut ipsi amplissimi unius verbi faciant ut vitetur molestus usus; proximam eorum quae praepositionum ritu casus supplementum verborum declinationi inserviant; postremam eorum quae perfectis et absolutis contraria imperfectae sint notionis (*κατὰ ἴμματα* Apollon. Synt. p. 228.), illud genus auxiliarium, alterum periphrasticorum, tertium expletivorum cognomine recte discerni arbitror. Integram me neminique quod sciam technicorum tractatam rem suscepisse non diffiteor: idcirco si cui ex Aristarchis nostris sive plausu digna sive refutatione protulisse visus fuero, equidem mihi gratulabor. In quo duplex mihi scriptorum genus prae ceteris usui fuit: cascos dico illos et antiquarios. Atque illorum quae aetatem tulerunt quamquam mutilata partim leguntur et amputata, partim ita, ut indomita adhuc parumque subacta horreant, non tamen eo infitias, opportune mihi haud pauca obliviorum haec et verborum et formularum tanquam emporia suppeditasse, illis saeculis nimirum proxima, quibus linguae latinae ad formandum quasi experrectum est ingenium. Sarsinatis inde expiscatus sum reliquorumque scenicorum fabulas, qui vulgi ore usi, quae quotidianum saperent sermonem, integre reddiderunt. Atque quot verbis auxiliaribus concisae dictionis inscia plebes confereire soleat orationem, quicumque vicos et publica perlustrave-

rit, expertus erit. Multo iam grandior, cui deinde operam navavi, Lucretius et politior, primus versibus exornandae apud Romanos philosophiae auctor, cuius loquendi genus ex pueritia linguam latinam in adolescentiam traduxisse dicitur. Antiquarios autem eos dictos esse constat, qui foetores, ut aiebat Caesar Augustus, reconditorum verborum venantes, exoletas voces et formulas e latebris vetustatis protrahebant. Quarum in primis fuit Sallustius auceps, qui Suetonio auctore (Octav. 86.) verba excerpserit ex Originibus Catonis, quibus occasione oblata uteretur, eoque progressus dicitur in hoc *τρόπον ἀρχαϊκοῦ* studio, ut ex collectis priscis ab Atteio verbis et figuris in suum usum converteret quae viderentur (Suet. de Gramm. 10.). Quam curam odiosam existimari quamvis Quintiliano concedamus (Inst. VIII, 3, 29.), illud tamen eripi nobis non patiemur, vetera quaedam vetustate ipsa gratius nitere: nam et sanctiorem et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usus. Adieci imitatore atque heredam quasi brevilloquentiae Tacitum.

Trifariam igitur cum disponenda sit, cuius primum specimen proponimus, disquisitio, ab auxiliariis ordiamur.

Ducit agmen verbum *facere*. Namque, quoniam *εἴ τις τι ποιεῖ, ἀνάγκη καὶ εἶναι τι πάσχειν ὑπὸ τούτου τοῦ ποιούντος* Plat. Gorg. 476 B, aut in ipsis nobis sive arbitrio adacti sive necessitate efficiamus ut agamus aliquid, aut ad alios fit actionis transitio, quos ad agendum excitamus et evocamus. Itaque quemadmodum cident lacrimas non modo allia graveque olentes herbae, sed etiam *οἱ δακρύνοντες* Virg. Aen. VI, 468, movitque bella non commune magis gentis Pelasgae quam Graeae raptus maritae magnive clypeus Achillis v. Bach. ad Ovid. Met. XII, 621. IX, 535. Fast. I, 569. III, 395, sic facere silentium modo pro eo dicitur, quod est silere, cum tacita ad subjectum relatione, Plaut. Pers. IV, 3, 50 fac silentium, id. Amph. prol. 15 ita huic facietis fabulae silentium, Ovid. Fast. I, 183. nec longa silentia feci, ibid. V, 55. fecere silentia cunctae, cujus in locum subeunt dare silentium Ter. Hecyr. prol. extr., ita explicandum, ut ab audientibus concedatur fabulae silentium, deinde habere s. Curt. X, 7, 3, tenere s. Ov. Met. I, 206, obtinere s. Liv. I, 16, agere s. Quinct. Inst. X, 1, 38, Ov. Met. I, 349, ut *ἡσυχίαν ἄγειν* Thuc. II, 72; modo, ubi aliorum linguae comprimuntur: Tac. Hist. III, 20, Antonius ubi ad aspectu et auctoritate silentium fecerat, Pers. sat. IV, 7. calidae fecisse silentia turbae majestate manus, Quinct. Inst. II, 5, 6. facto silentio, quocum componere licet, quod praekonum est, auditionem facere sive audientiam v. Jacob. ad Lucian. Tox. 42. p. 129. Quo exemplo usi singula dispescamus. Obsequentiam facere pro obsequi, morem gerere Plaut. Asin. I, 1, 50, quo Scaliger versus numeros sustinuit, nisi forte rectius Taubmannus recepit facient obsequelam iam h. e. in posterum, quum paullo ante de importunis et male morigeris dixerit senex parentibus. Periculum facere pro experiri (Ov. Met. VII, 175.) Pl. Asin. III, 3, 27 scio qui periculum feci: Ter. Andr. III, 3, 11 qui scias istuc, nisi periculum feceris. id. Eun. III, 1, 23 (Phorm. V, 8, 40.) fac periculum in literis. Heaut. I, 2, 36 periculum ex aliis facere, tibi quid ex usu siet. Hec. V, 1, 41 qualis sim amicus, periculum facias. Phorm. II, 2, 12 factum est periculum. Curt. VII, 8, 27 videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. (Quinct. Inst. III, 7, 14

certissimum faciunt morum experimentum). Adde, in quibus discriminis inest exspectatio, auf's Spiel setzen, Tac. Ann. XV, 6 Corbulo merita tot per annos gloriae non ultra periculum faceret, XIV, 28 ejusdem pecuniae periculum faceret. Curt. IV, 9, 12 Mazaeo non auso periculum sui facere. Contra loquitur Tac. Ann. XIII, 33. tanquam insonti periculum fecissent, hoc est in periculum adduxissent innocentem, et XVI, 19 fregit annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula. Sall. Cat. 33 nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum alii faceremus, quo pacto a Tacito (Hist. IV, 43) et Cicerone saepius dicitur facessere pericula. Itaque dubitari posset de Taciteo loco Hist. IV, 71. ne summae rei periculum faceret, utrum rei pro gignendi an pro inferiore casu rectius acciperetur, nisi genitivum esse sententia loci argueret. Deinde facere fugam, Sall. Jug. 53 postquam impeditos vident, fugam faciunt, non perhibentur qui alios fundunt, sed ipsi terga vertentes fugam, ut peregrinabundi iter, facere dicuntur. Ibid. 57 Numidae fugam faciunt, ἀποπαθῶς. Liv. VIII, 9 consternatae cohortes fugam ac vastitatem late fecerunt. Hinc forma passiva Sall. Jug. 58 fugam ad se versum fieri. Ov. Fast. II, 496 fit fuga. Ter. Eun. IV, 7, 17 facerent fugam. Pl. Amph. IV, 4, 38 ut si nostri fugam facerent, illuc me tuto reciperem. At pro fugando ad alterius generis rationem legitur ap. Cic. pro dom. 67 quas iste tum caedes, quas fugas faceret. In Arruntio, cuius libros de bello Punico conscriptos Seneca commemorat Epist. 114, nimis exundantem huius circumloquendi generis copiam reprehendit: „Arruntius fuit Sallustianus et in illud genus nitens. Est apud Sallustium: exercitum argento fecit, id est pecunia paravit. Hoc Arruntius amare coepit; posuit illud omnibus paginis; dicit quodam loco: fugam nostri fecere, — totus his contextitur liber. Quae apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt et paene continua; ille enim in haec incidebat, at hic illa quaerebat.“ Sed utrum de fugando an de fugiendo cogitaverit Rhetor sermonis mangonem increpans, quamquam neque ex ipsa formula apparet, neque contextus verborum nos certiores facit, tamen in eam proclivis sum sententiam, ut intransitiva potestate usus sit Sallustianarum captator formularum. Contra ponimus Livianum, Lexicis suo loco insertum: anguis quum terrorem fugamque (hominum) in regiam fecisset, I, 56. Ita, quae infra intentius contemplabimur, dare fugam aut dicitur de concesso perugio, Virg. Aen. VII, 24 Neptunus fugam dedit et praeter vada fervida vexit, aut de fuga ipsa, XII, 367 qua venti incubuere, fugam dant nubila coelo. Compar huic fortasse varietas apud Graecos. Thuc. III, 33 ἀπὸ τῆς Ἐφέσου ὁ Ἀλικίδας ἐπλεῖ κατὰ τάχος καὶ φυγὴν ἐποιεῖτο: cui opponit Zeunius ad Viger. p. 285 Lysiae quod est adv. Simon. p. 100. οἱ τοὺς νόμους θέντες οὐκ ἠξίωσαν ἐπὶ τούτοις τῆς πατρίδος φυγὴν ποιήσασθαι. Verum mihi equidem non persuadere possum, unquam legum latores dictos fuisse φυγὴν ποιῆσθαι pro φυγὴν καθιστάγειν vel φυγαδεύειν, sed ad summum φυγὴν ποιεῖν: quam ob rem φυγὴν ποιήσασθαι ad reos ego revoco caede obstrictos ideoque ex patria ejiciendos: qui disciplinam hujus populi adstrinxerunt legibus, non si qui congressi fortuito cervices inimicorum fregerunt, ideo constituerunt (ἠξίωσαν), ut patria orbarentur: multi ante exterminandi fuissent, ἀλλ' ὅσοι, et quae sequuntur. Τροπὴν ποιεῖσθαι in fugam conjicere Arist. Eqq. 246. Thuc. VII, 54: contra τὴν διάλυσιν

*ποιεῖσθαι* pro *ἀπαλλάττεσθαι* Thuc. I, 51, nisi praestat subaudire *τῆς μάχης*. Illis adde Ennii ap. Varr. L. L. VI, 5 leones pausam fecere fremendi, *ἐπαύοντιο*, Plantique Pönul. II, 13 ego pausam feci sc. dandi. Eadem formula posset *παύειν* significare, sed nullum quod sciam exstat documentum. Deinde Pl. Menaechn. I, 3, 13 exuvias facere quas vovi volo, reflexione ad subjectum facta; vult enim, ut recte adnotat Turnebus, spoliare se, et spolia in alterum transferre. Ad haec facere risum dicuntur, qui aliorum commovent latera, Coel. ad Cic. Fam. VIII, 9 post repulsam risus fecit. Quinct. Inst. VI, 1, 40, 48. (In Horat. Sat. II, 5, 57 dedisse risum traditur ridiculus). Ridentes fecisse risum quamquam comprobare non habeo, tamen ut factum ita dictum esse suspicor. Invidiam vero facere malevolos in vulgus notum, v. Lex. et Bach. ad Ov. Met. IV, 547; de invidentibus non dictum puto.

Ceterum huic numero tribuendae sunt locutiones, in quibus facere nomini appositum refert verbum conjugatum, quae periphrasis Graecis quoque usitatissima, *διδασκαλίαν ποιεῖσθαι* Thuc. II, 42, v. Matth. gr. gr. p. 775. Intpp. ad Dem. Lept. p. 500; eadem apud hos figurae etymologicae gratiae et auctoritati saepissime cessit. Nec a recentioribus, quae nostra saecula expoliverunt, idiomatis alienum; siquidem Francogallis concessa sunt faire rencontre de quelqu'un, faire reflexion, faire abordage. Sic apud Latinos facere certamen Tac. Ann. XV, 1. f. bellum Herz. ad Caes. B. G. III. extr., cum tacita, opinor, consilii infestique animi significatione, quam in ejusdem verbis: hoc proelio facto B. G. I, 13 incassum quaerere mihi videtur doctus Divi Julii interpres, v. Bach. ad Ov. Met. VIII, 58. Facere pugnam Tac. Ann. III, 21. f. caedem Nep. Thras. 3. f. proelium Tac. Ann. XII, 40. Curt. VIII, 2, 16. Nep. Hann. 10. f. deditionem, hoc est se dedere Curt. IV, 1, 16. Sall. Jug. 46. f. reversionem Plant. Bacch. II, 3, 62. Truc. II, 4, 42. f. eruptionem Nep. Thras. 4. f. obsidionem Plant. Bacch. IV, 4, 24. f. indicium id. Mil. II, 2, 11. IV, 6, 5. Capt. V, 4, 17. Rud. II, 4, 15. Cist. IV, 2, 9. Most. III, 2, 17. Virg. Georg. II, 246, unde Terent. Ad. IV, 4, 9 id anus mi indicium fecit. Hecyr. IV, 1, 31 id nunc res indicium haec facit, quorum pronomina pendere ab indicando potius quam ad nomen videntur revocanda, Ov. Met. IX, 585, ut ne in Plutarchi quidem loco ap. Viger. p. 284 *οὐδέν* cum *ζέηδος* arcte cohaerere arbitror. Facere ludos Lucr. IV, 795 nocturno facere ut possint in tempore ludos. Plaut. fr. Cornicul. 6 quid cessamus ludos facere? circus noster ecce adest. De edendis ludis Cic. ad Attic. XV, 10. Ovid. Trist. II, 1, 26. Fast. I, 329. Phaedr. fab. V, 5, 4, quemadmodum facere exemplum et edere increbuit, v. Herz. ad Caes. B. G. I, 31: sed dare ludum plurimum distat. Sed multo vulgatior est ludificationis potestas, quae ipsa simplici ludere comprehenditur, Ov. Fast. II, 357. III, 685. Phaedr. fab. App. XI. Plaut. Most. II, 1, 80 ludos ego hodie vivo praesenti hic seni faciam. Merc. II, 1, 1 miris modis Di ludos faciunt hominibus, in Rud. III, 1, 1 iteratum. Cas. IV, 1, 3 intus fiunt ludi ludificabiles seni. Atqui quum ludificare, quod vocabulum bina illa in unum coarctata exhibet, transitivum sit, mansit quartus casus in soluta quae pro verbo usurpatur phrasi. Namque ut ludos facere operam de perdita opera ponunt, sic Pl. Aul. II, 2, 75 hominem, quem senecta aetate ludos facias. Pseud. IV, 7, 72 donecum ipsus

sese ludos fieri senserit. Capt. III, 4, 47 nunc is te ludos facit, quae aut iterata aut immutata paullulum invenies Men. II, 3, 54. Amph. II, 1, 21. Pers. V, 2, 23. Rud. II, 5, 13. IV, 1, 9. Pseud. I, 3, 135. Conferas Ennianum, si lectio certa: ne mea quis funera fletum faxit, hoc est defleat. Pariter dimittere ludos hominem Rud. III, 5, 12 v. Lindem. ad Capt. III, 4, 47. reddere ludos aliquem Ter. Andr. III, 1, 21. Quo phrasium regimine praecessisse Graecos iugis exemplorum thesaurus probat: Eur. Orest. 1067 *ἐν σοι μοιρῆν ἔχω*. Soph. El. 123. *τάπεις ολιωγῶν Ἀγαμέμνονα*. Aesch. Suppl. 564. *δειματι πάλλονται ὄψιν ἀήθη*, deinde *ψῆγον τίθεσθαι τι* v. Well. ad Aesch. Sept. 272. Agam. 816: nec cothurnus tantum atque mens poetarum incitata haec germinavit, verum etiam sana ac sobria oratio adoptavit Thuc. VIII, 62 *ποιεῖσθαι ἀσπαρῆν σκεῆν καὶ ἀνδροπόδα*. Plat. Phaedo. p. 99. *Ἐπὶ τὸν δευτέρου πλοῦν βούλει σοὶ ἐπίδειξιν ποιήσωμαι*; Plut. Caes. 2. *τὰ χρήματα λείαν ἐποίησατο*. Arist. Plut. 1061 *οὐχ ὑγίαιεν μοι δοκεῖς πλύνον με ποίων (πλύνων ἐμὲ) ἐν τοιοῦτοις ἀνδράσιν*, mutata accentuuncula *πλύνον* scribendum censeo, quod facillime explicari possit adhibitis quae de Phrynicho Lobeckius suspicatur Paralipp. II. p. 506. *Γέλωτα* denique etsi non sum imprudens et risum significare et rem deridendam (*γέλωτα παρέχω* Plat. Gorg. 474. A, risus Ov. Fast. I, 438, ut amor, cura v. Intpp. ad Ov. Met. I, 452.), animum tamen non possum inducere ut Passovio subscribam *γέλωτα ποιεῖσθαι* vel *τίθεσθαι τι* „etwas zum Gegenstand des Scherzes oder Spottes machen“ interpretanti, Herodo. III, 38 *οὐκ οἶός ἐστι ἄλλον γε δὴ ἢ μαινόμενον ἄνδρα γέλωτα τὰ τοιαῦτα τίθεσθαι*. Aliud est *ἐν γέλωτι καὶ παιδιᾷ τιθέμενος πάντα* Lucian. Pseudom. 25, quod composito Thucydideo *ἐν ἀδικίᾳ τῆς θήσονται* I, 35 quomodo accipiatur haud dubium relinquitur.

Sed resumamus orsa. Facere auxilia, prociusum ad similitudinem formulae stipendia facere, Tac. Ann. VI, 33. f. nuptias Pl. Aul. II, 4, 10. III, 6, 5. f. insidias Nep. Alcib. 9. Pl. Bacch. V, 2, 88. Praeterea facere conjecturam, cum de qualibet re incerta Terent. Heaut. III, 3, 13. II, 3, 25 quantum ex ipsa re conjecturam fecimus, non cepimus, quia capere conjecturam etsi non omnino inauditum est, tamen in fabulis non reperitur, Quinct. Inst. VIII, 4, 26, tum de interpretandis somniis Pl. Curc. II, 2, 31. Cas. II, 3, 8. Cist. II, 1, 2. Mer. I, 2, 54. Rud. III, 4, 66. Ter. Andr. III, 2, 32. Facere adscensionem Pl. Rud. III, 1, 7. f. incendium Merc. III, 4, 3. f. trucidationes Cato ap. Gell. XIII, 24. f. incursionem Liv. I, 41. f. concursum id. I, 14. f. convicium Pl. Merc. II, 1, 11. Most. III, 1, 89. Ter. Ad. II, 1, 26. Quinct. Inst. VI, 3, 78. VI, 4, 10. Ovid. Met. XIV, 710, eodemque intellectu f. contumeliam Pl. Asin. II, 4, 82. Ter. Eun. V, 2, 27. Cato ap. Gell. X, 14, cuius passivam positionem aequales suos sibi indulsisse ait Quinct. IX, 3, sed Cicero Phil. III, 9. acriter obiurgat Antonium, nullam contumeliam esse dicentem, quam faciat dignus. Quod quoniam a reliquis abscissum per se contemnemur necesse est, hoc reprehendere videtur Cicero, quod parum finite sit dictum primum dignus, deinde ipsum contumeliam facere, quod afficere contumelia significet, neque enim fore quemquam, qui proferat passivo intellectu. Certe in XII. Tab. si quis carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumque alteri, scriptum

commemorant Cic. de Rep. IV, 10. Fest. s. occentassint. Facere gratiam, quae postea coaluerunt in unum, cuius principium aut adjectivum est, ut laetificare, aut tritocliton grates, gratificari, Tac. Ann. IV, 19. Sall. Jug. 104. Catil. 52. Pl. Cas. II, 6, 21. Facere vulnus et vulnera Ov. Met. III, 232. Lucan. VI, 212. Pl. Truc. V, 61. (vulnificus Ov. Met. II, 504. VIII, 359, dare vulnera id. Trist. V, 2, 14. V, 7, 19. V, 10, 44). Facere finem sermonis vel sermoni (aliud est ap. Quinct. II, 15, 10) Curt. IV, 11, 14. VI, 10, 37. v. Ellendt ad Cic. de Or. III, 27, et quod idem denotat facere modum Pl. Asin. V, 2, 32. Ov. Met. IV, 258. (modum statuere Ov. Trist. I, 11, 44). Facere exordium Quinct. XI, 3, 38, f. homicidium id. V, 9, 9, f. excidionem (a caedendo, Fest.) Pl. Curc. IV, 3, 2, f. fraudem Mil. II, 2, 9. et ex XII. Tab. Serv. ad. Aen. VI, 609. f. sementem Caes. B. G. I, 3. f. fallaciam Ter. Andr. I, 3, 7. atque obsoletum f. falam vel fallam Nov. ap. Non. s. v. f. furtum Hor. serm. I, 3, 94. Epist. I, 16, 46, et in XII. Tab. saepius, v. Dirksen. p. 708. Macrob. Sat. I, 4. Verum facere suavius Pl. Asin. IV, 1, 53. aliorum spectat. Restat, ut de censione censeam, quam censendam proponit Sarsinatis dicacitas Rud. IV, 8, 9 at sume quidem, ne censionem semper facias. Ac Lindemannus quidem, quem verissime locum interpretatum esse praedicat V. D. in Forcell. Lexico, ad Trin. II, 4, 12: „est igitur sumere zusammenziehen, summam facere; censionem facere est dispungere, conspiciere, num quid aera digna sint, quae accipiantur et subscribantur.“ Quae ut inter se cohaereant, quomodo sententiae satis faciant non video. Quae in principio versus legitur particula, ad praecedentis ultimam partem reiecit Bothius, numerorum tempestive memor: verumtamen accedere equidem dubito, quia cenſeo istud, quo iuvenem amore perditum superbissime cavillatur trifurcifer, in extremis versibus reliquis pure positum videmus: qua de causa medicum exspectare videtur versiculi caput, quod vitiatum est, amputaturum.

His insuper addendae loquendi formulae de artibus et opificiis sumptae. Fama maxima faciendae lanae, hoc est lanificij Ov. Met. VI, 31. Facere quaestum carcerarium senex dicitur per jocum (cf. Quinct. Inst. XII, 7, 9), qui captivorum commercatur manum, quorum permutatione suam recuperare possit filium Pl. Capt. I, 2, 26: de custodibus carcerariis cogitat Weisius, merito castigatus in Zimmerm. Ephem. 1840. Nr. 43. Facere lenocinium, id est lenocinari Pl. Epid. IV, 2, 11. Merc. II, 3, 76; f. histrioniam Amph. prol. 90. 152, sive artem ludieram Aul. IV, 3, 3; f. mercaturam Rud. IV, 2, 26, vel mercaturas Cic. Verr. II, 5, 28; f. carnificinam Pl. Capt. I, 2, 29; f. medicinam, hoc est medicum esse Curc. I, 3, 3. Men. I, 1, 23. Phaedr. fab. I, 14, 2. (factitare med. Quinct. VII, 2, 26.), quamquam hoc pro medendo etiamnum ntuntur, Pl. Cist. I, 1, 76. Phaedr. fab. I, 8, 9. Deinde facere unguentariam Pl. Poen. III, 3, 90; f. piraticam Cic. in Senat. 5; f. topiariam id. ad Q. fr. III, 1, 2. Viden' tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus Pl. Mil. IV, 1, 43. Deinde facere haruspicinam Cic. Fam. VI, 18; f. praeconium ibid.; f. meretriciam Suet. Cal. 40; f. pecuariam id. Caes. 42. Facere vecturam Quinct. Decl. XII, 18 atque ἰσοδυνάτως facere velaturam (sic procul dubio rectius scribitur quam geminata liquida) Varr. R. R. I, 2 dicuntur, qui vecturis vivunt.

Facere argentariam Cic. pro Caecin. 4. Verr. II, 5, 59; f. scrutariam *ζωποπωλειν* Appul. Met. 4; f. vecticulariam *τοιχωρυχειν* ab Interprete ad Pl. Pseud. IV, 2, 23 affertur, sed unde expiscatus sit nescio; f. naviculariam *ναυκληρειν* Cic. Verr. II, 5, 18. Neque dubito quin Suetonio Vitell. 2. dicere licuisset furnariam facere pro exercere, quemadmodum medicinam exercere habet Cic. Cluent. 63, artem ludicram exercere Quinct. III, 6, 18, artes exercere Ov. Met. XV, 360; exercere commercium turis Plin. Hist. Nat. XII, 14, 30; deinde colere patrias artes militiamque Ov. Fast. II, 508, rem militarem colant Liv. I, 16. Idem illud apud Graecos *τεχνιτων* vocabulum, at multo, opinor, rarius, velut *τραγωδιαν*, *κομηδιαν ποιειν* de poetis scenicis Pausan. II, 7, 4. VII, 4, 8, *ποιειν μουσικην* sive haec est philosophia, sive ars intelligitur componendorum carminum, Plat. Phaedo. p. 60 E. De verbo *εργαζεσθαι* audiendus h. l. Wyttenbachius, nec prorsus absimilia, quae de thalatturgis exposuit Wesselingius in Observ. p. 45. ed. Frotsch. *ασκειν ηγορικην* Plat. Gorg. 500 C.

Superest, ut alterius generis quaedam promam documenta, cuius quasi *ιδεαν* statuimus silentium facere, *σιγαζειν*. Praesto sunt facileque obvia legenti facere fiduciam et metum, hoc est efficere, ut confidat, metuat aliquis Tac. Hist. II, 66, simul facere formidinem ib. III, 10; tum facere simultates, id est efficere, ut homines invicem sibi succenseant Tac. Ann. III, 54; facere fidem id. Agric. 11. Herz. ad Caes. B. G. IV, 11; f. locum alicui rei, quod dare locum denotare solet, Curt. III, 1, 4. IV, 11, 9; f. odium studiorum Quinct. I, 3, 11; f. dolorem, ut sentiat alter Lucr. VI, 785; f. fulgorem, ut niteat res id. VI, 217; f. moram vel moras, id est obicere rem morantem Virg. Ecl. X, 12. Quinct. X, 3, 10. Ov. Met. VIII, 548. Fast. II, 252, vel antiquius remoram Pl. Trin. I, 1, 16. Lucil. ap. Fest. s. remora. Facere sonitum, ut sonum res mittat Lucr. VI, 133 est etiam, quum venti nubila perflant, ut sonitus faciant: contra duobus versiculis ante legitur: quum plena animae vesicula parva saepe ita dat pariter sonitum, displosa repente; todidemque ultra: crebram silvam quum flamina perflant, dant sonitum frondes ramique fragorem. Haec igitur distinguenda. Namque dare sonitum res dicitur, in quam extrinsecus tantus fit ictus, flictus, pulsus, ut sonum mittat, dant sonitum flictu galeae Virg. Aen. IX, 667. Coronis icta dedit gemitum Ov. Met. II, 606. propulsa silva fragorem dat ib. VIII, 340. Contra facit sonitum res pellens ac tuditans, vel, ut dicam concinnius, in illo relatio ad subjectum cernitur, in hoc transitio ad objectum. Sic venti quum nubes perflant, causari sive efficere dicuntur sonitum (motos in arundine ventos effecisse sonum tenuem Ov. Met. I, 708), velut humo percussa frondes caducae faciunt strepitum Ov. Met. VII, 840. Sin de nubibus ipsis locutus foret Lucretius, dedisse sonitum dicendae fuissent. Qua de causa facile est intellectu, quid sit, quod nusquam compareat datur sonitus, sed ubique fieri sonitus dicatur, quia in passivo mente comprehenditur quae efficit sonitum causa. Virg. Georg. IV, 79 aethere in alto fit sonitus sc. ex congressu apium proeliari, quod aequae bene dicere licebat: alae stridentes animalculorum causantur strepitum (Ov. Met. XI, 650), sicut plaga facit gemitus, der Hieb verursacht Geklirr, Ov. Met. XII, 487; nec strepitum verso Saturnia cardine fecit ib. XIV, 782; passu strepitum non faciente (sed pes motus dat strepitum) id. Trist. III,

7, 36; murmura fluctus aequorei faciunt (movenes undas) id. Met. XV, 605, qui iidem dant murmura moti a ventis, ut dant sonitum spumosi amnes Virg. Aen. XII, 523. Sonitum fecerunt fores Pl. Mil. IV, 8, 67; nam quid fores fecere soniti? Caecil. ap. Non. s. soniti; molae faciebant crepitum Naev. ap. Fest. s. titinnire. Itaque Propertio, qui Eleg. 20, 48: tum sonitum raptu corpore fecit Hylas, si dicere maluisset, quod naturae convenientius foret, Hylae raptum corpus, dicendum erat: dedit sonitum. Scrupulum possit iniicere Virgilianum: nec quae sonitum det causa videmus (Aen. III, 584.), nisi causa pro ipsa re dicta esset: sin de re incitante intelligeretur, aliter dicendum fuisset.

Verum passivam inesse vim autumant in formulis naufragium (Quinct. V, 10, 48), detrimentum facere (Nep. Them. 7.), atque subvenit schol. Eur. Hec. 614. τὸ ποιεῖν πᾶθος ἐστίν, ἐπειδὴ ὁ ποιῶν τι πᾶσχει τρόπον τινα καὶ ἀπὸ τοῦ ποιεῖν. Attamen concessio, detrimentum vel naufragium facientem male vexari, haecce παθημάτων significatio non tam in verbo, quam in nominibus ponenda est: qua de causa male opinari censeo, qui verbum in causa esse ducant. Neque eos recte iudicare existimo, qui advocato πράττειν intransitivam potestatem verbo obtrudunt. Namque detrimentum facere ad reliquorum analogiam unice deterere expleri posset, quemadmodum ruinas facere intransitivam simplicis ruere σχέσιν comprehendit, si isto vocabulo ἀμεταβίαντος uti concessum esset. Sed nulla tam est lubrica et tantopere ad fallendum instructa formula, quam damnum facere, cui apud eos, qui integre et sincere loquuntur, perpetuendi tantummodo (damnum perferre Cic., accipere vel capere ap. Jctos, ferre Ovid. Fast. I, 60. v. Gierig. pati Senec. βλέπτεσθαι), nunquam afferendi damni vis tribuitur (dare, apportare damnum Terentiana, βλέπτειν). Pl. Bacch. IV, 9, 109 quam propter tantum damni feci et flagitii, quae paene totidem verbis repetuntur Merc. II, 1, 13. IV, 4, 44. Nimirum et flagitium facere dicitur (Cic. Tusc. IV, 34. Rosc. Am. 9) et damnum facere, neque zeugma opus est agnoscere, quia faciendi verbum περιδέξιον est. Illud quo jure proculdi potuerit, in vado erit Doederlino Synon. VI, p. 95 ex δαπάνη damnum repetenti (scamnum scabinum ibid. p. 319. Quinct. Inst. I, 4, 12. ὕπνος somnus) obsequentibus: nam decompositum esse Varroni proponenti vereor ut quisquam subsignet. Compar fere est quod legimus Pl. Capt. II, 2, 77 est etiam ubi profecto damnum praestet facere quam lucrum. Curt. V, 9, 4 ego non ut damnum facias suadeo. Pl. Asin. I, 3, 30 neque ille scit quid det, quid damni faciat. Quocirca quum prompta esset multumque frequentata formula damni aliquid facere (Cic. de fin. V, 30 si in maximis lucris parum aliquid damni contraxerit), expuncto pronomine relictum est damni facere Pl. Merc. II, 3, 86 (aliter explicat Stallb. ad Ruddim. I, p. 188), cuiusmodi ellipsis in similibus compendii, dispendii facere adeo evaluit, ut tanquam conglutinata hyphen scriberentur Pl. Most. I, 1, 57. Pers. IV, 3, 2. Lucr. II, 1127, lucrifacere Cic. pro Flacc. 37. Laber. ap. Charis. p. 183, sumptifacere Pl. Cas. II, 7, 2, quod perperam fieri evincunt simul tmesis Pl. Bacch. II, 2, 6, simul metathesis Pseud. IV, 7, 42. Nep. Thras. 4 permulta exempla, v. Claussen. de fig. hyphen p. 18, Progr. Rastenburg. a. 1840. At leguntur etiam compendium facere Pl. Bacch. I, 2, 51. Rud. I, 2, 90, lucrum facere Cas. II, 6, 3. Senec. fr. trag. p. 288, v. Dorv.



ad Charit. p. 222. Adaequandum isti detrimentum facere Nep. Cat. 2. nullum detrimentum existimationis fecit, ne hoc quidem unquam de eo prolatum quod obest atque officit: cuius si usus veniat, dicitur detrimentum afferre ab eodem Attic. 2. Atque illi quidem supplemento sunt capere, accipere, huic inferre, importare detrimentum. Eodem prorsus referendum facere jacturam, quod vere dictum ac proprie de iis mercibus, quae in marinis tempestatibus ad sublevandam navem eiiciuntur, v. quae adnotaverunt ad Cic. Off. III, 23, inde latius finibus propagatis quodlibet damnum indicat, Ov. Met. V, 401. IX, 98. 100. In hoc igitur, ut in gemino *ἐκβολὴν ποιῆσθαι* (uno verbo *καθίεναι* v. ad Aesch. Eumen. 555.) verbi vis transitiva obtinet. Sarcinarum potius quam disciplinae fecisse iacturam Curt. VI, 6, 17. Jam quum nativae eiiciendi in dies magis abolevisset potestatis recordatio, damni, quae minimo intervallo distat, evicisset, inde scribere licuit Columellae Praef. I: minus jacturae paterentur res rusticae. Miscuit ista Reisigius (Vorlesungen über Lat. Sprachwissenschaft p. 685): „Besonders empfängt dadurch ihren Sinn die Construction mit facere, z. B. jacturam, damnum, naufragium facere, Schaden erleiden. Facere wird bisweilen, wie das Griechische *ὀρεῖν* (quod neque affirmare ausim neque redarguere, multo certe celebrius et ab exemplorum copia tutius est *πράττειν* v. Monk. ad Eurip. Alcest. 615. 813) construirt und heisst: sich in einem Zustande befinden; dieser Zustand wird durch den Accusativ genauer modificirt.“ De hoc quidem dubitare sese significat Editor libri, quid ipse proferat similium veri, securus. „Doch eigenwillig ist es, dass die Sprache nur gewisse Objecte zu facere in dieser Beziehung gewählt hat, denn z. B. facere malum hat Niemand so gesagt.“ Hoc verum. Sed quemadmodum nostrates consueverunt dicere einen bösen Fall thun, hoc est böse fallen, cadendo laedi, ita Latinis concessum est naufragium facere id est navis ruina affligi (Ov. Trist. V, 8, 11 Heinsii conjectura, quam ipse vir summus parum prosperam esse profitetur, proxime ad veritatem accedere mihi videtur; versus, ut in nostris Edd. legitur, procul dubio corruptus: minus fortasse a codicum vestigiis aberret: navifragum qui risit, in aequore mergi). Etenim non solum tempestas frangit navem fretumve malignum Ov. Met. XIV, 6. Virg. Aen. III, 853, verum etiam nauclerus, quem minime decet frangendi consilium, Ter. Andr. I, 3, 17: nec modo constantia, sed ipsa quoque suas vires frangit ira Ov. Trist. I, 1, 94, ipse frangit dolor Senec. Consol. ad Helv. 1.

Superest, ut de formula facere ruinas loquamur. Ac primum quidem philosophorum incusans inscitiam, qui de rerum natura exposuit vates: principiis tamen in rerum fecere ruinas I, 741, deinde VI, 573 saepius hanc ob rem minatur terra ruinas quam facit; et passive Ov. Trist. IV, 8, 36 curriculo gravis est facta ruina meo; Lucr. IV, 943 fit paullatim nobis per membra ruina, VI, 607 fiat mundi confusa ruina, quod si active maluisset eloqui, mundus confusus facere ruinas dicendus erat, quemadmodum Hor. Serm. II, 8, 54 suspensa graves aulaea ruinas in patinam fecere. In quo notabile videmus idioma; quamvis enim loquantur dare ruinam, trahere ruinam, facere ruinam quod sciam nemo protulit, sed *πληθυντικῶς*, cuius plurativi nullam idoneam causam reperiri posse arbitror.

Hujus verbi exemplo ducti ad alia animum attendamus oportet, quae cum nominum quarto casu connexa unum reddunt verbum sive praesto est et usu receptum, sive ex libris qui aetatem tulerunt proferri nequit, sive non prorsus usitatum fuit, cujus rei arbitrium penes loquentes fuisse consentaneum est. Quae in re quum haud injuria quis vereatur ne carceres effringantur lineaeque transsiliantur eo quod omnia id generis collecturo ingens transitivorum moles excitanda sit et cumulanda, iis acquiescendum erit verbis, quae propter communem latiusque patentem usum frequentiora aut certis quibusdam apponi consueverunt, aut cum diversis nominibus ad istam rationem conjuncta reperiuntur.

Ducat cohortem agere. Ac primum quidem agere custodias pro eo quod est custodire, Naev. trag. p. 86 vos qui regalis corporis custodias agitis, aequiparandum videtur formulis vigiliis, excubias agere Curt. IV, 13, 10. Gierig. ad Ov. Fast. III, 245. Tum agere poenitentiam dialogi sive est Taciti sive alterius de oratoribus c. 15 neque illius sermonis mei poenitentiam ago; adduntur Curtii, Petronii et Senecae loci in Lexico. Quam phrasin ipsius verbi quibusdam certe inclinamentis inter ἀόρητα recensendis usitatioem fuisse ex Quintiliano colligitur, qui IX, 3, 12: unde eo usque processum est, ut non poenitendum pro non acturo poenitentiam idem auctor (Sallustius) dixerit. Deinde ex Lucr. III, 574 si cohibere sese anima atque in eos poterit concludere motus, quos ante agebat, in vicem passivi moveri non nimis audacter substitui motus agere facile sequitur: itaque tempora peragunt solitos motus Ov. Trist. V, 10, 11. Agere curam de conjuge Ov. Met. IX, 107. XIII, 371 lectio incerta; agere curam futuri nominis id. Trist. V, 7, 37; agere obliviam Herculeae laudis id. Met. XII, 539 (sed Leucotheae multarum obliviam fecit ib. VI, 208); agere otia id. Fast. I, 68. IV, 926; pagus agat festum ib. I, 669; sacra agit flamen ib. II, 281. Obvium praeterea apud Plautum quavis fere pagina agere nugas aut pro nugari ληρεῖν (nugas ludificabitur Capt. III, 4, 80) Aul. IV, 4, 11 aufer cavillam, non ego nunc nugas ago, et v. 24 nugas agis, Capt. III, 4, 95. Cist. II, 3, 39, aut de laboribus cassis Pönul. III, 5, 31 lupo agnam eripere postulant, nugas agunt. Men. IV, 2, 57. Rud. IV, 4, 107. Cas. III, 6, 22. Trin. II, 4, 40. Deinde agere spumas, id quod spumare Virg. Georg. III, 203 spumas agit ore cruentas. Lucr. III, 488. Enn. fr. p. 49; agere scintillas Lucr. II, 675; agere rimas h. e. findi Ov. Met. II, 211. X, 512 (idem est rimam ducere IV, 65, verum rimam facere causam complectitur, non eventum, id. Trist. II, 1, 85); fumus undam agit Virg. Aen. VIII, 257; sudor piceum flumen agit ib. IX, 814; quamquam sunt ex his, quae propriam procreandi et germinandi potestatem teneant, quemadmodum palmes dicitur gemmas agere Ov. Fast. IV, 128, nebulasque exigere ignis id. Trist. V, 5, 31, ossaque robur (ramos agere id. Met. X, 492. Denique, quae ad tempus pertinent, agere dies Senec. Epist. 66. (fecerimus al.); agere menses Ov. Met. VII, 700; agere annos V, 48. VIII, 708. Trist. V, 5, 26; agere lustra Fast. III, 120; agere aetatem Pl. Bacch. II, 3, 121. Mil. IV, 8, 2. 10. Ter. Heaut. II, 4, 12. Hec. II, 1, 10. III, 1, 4, et ὑποκοριστικῶς aetatum agere cum cavillatione dictum Asin. I, 2, 40, cuius vice agere vitam legitur Lucr. III, 1070. Ter. Andr. I, 1, 47. Ad. I, 1, 20. Hor. Carm. III, 2, 5; aut agere aevum Lucr. V, 83.

VI, 58. Ov. Met. X, 243, qualia Graecorum sunt *ἡμέρας ἀγεῖν* Soph. El. 266, *διάγειν βίον* Arist. Nub. 464, et destitutum nomine *διάγειν*, sicut agere quoque Tac. Ann. III, 26. 38. 44. VI, 40, et degere ib. IV, 57. Hor. Carm. III, 29, 42. Eisdem compositum ab hoc exigere adnectitur nominibus, eo tamen interjecto discrimine, ut aut ad mortem usque producta vita intelligatur Pl. Aul. I, 1, 4, aut usque ad certum quendam, qui ipsa oratione finitur, terminum: Capt. III, 5, 62 quicum una a puero exegeram vitam, donec captivi ambo facti sumus. Trin. IV, 2, 111 nae tu me arbitrare beluam, qui quidem non nosse possim, quicum aetatem exegerim h. e. hucusque vixerim; Ovid. Trist. IV, 3, 36 tempus triste exige (donec revertar); Ter. Heaut. II, 3, 39 quo studio vitam suam te absente exegerit; id. Hec. II, 1, 19 quo quisque pacto hic vitam vestrorum exigat (cum ruri esse soleo); Graecorum est *βίον* vel *αἰῶνα διαγέειν* Hdt. III, 40. Sed transigere et peragere vitam ultimam lineam aetatis respiciunt, Sall. Cat. 2 multi mortales dediti ventri atque somno vitam transegere. Ov. Trist. IV, 8, 41 vita procul patria peragenda. id. Met. XV, 485 postquam aevum peregit. Sed alias auxiliare. Peragunt levi stridore querelas Ov. Met. IV, 413; imago mortis repetita peraget simulamina (h. e. simulabit) plangoris nostri ib. X, 727; peragentem imitamina (h. e. imitantem) aetatis nostrae ib. XV, 200; quas vices peragant (i. e. quomodo mutantur ac misceantur) ib. XV, 238; peragit tales sonos id. Fast. III, 26; perago subiti praeconia casus, id est nuntio, id. Trist. V, 1, 9. Sequitur degere cum temporalibus, aetatem Pl. Cas. II, 4, 12; diem Most. III, 1, 3; aevum Lucr. II, 1094; vitam id. IV, 1278. Neque abhorret frequentativum agitare, quo genere Sallustius primitivorum loco haud invitus utitur, Cat. 3 etiam tum hominum vita sine cupiditate agitabatur, (ag. aevum Virg. Aen. X, 235) et orbatum casu agitare Jug. 14; agitare luctus et gaudia Cat. 61. Deinde agitare gaudia Sil. Pun. XV, 420; iocos Pers. sat. VI, 5. Ov. Met. III, 319; saltus Sil. Pun. II, 95; otia id. XII, 689; convivium Pl. Mil. II, 2, 10. Sil. XV, 273. Ov. Met. VII, 431. Ter. Hec. I, 2, 18; vigilias Pl. Trin. IV, 2, 27; agitare fugam, quod celeritatis cogitatione pauxillum distat Virg. Aen. II, 640; agitare spes inanes Ov. Met. VII, 336; imperium agitare Sall. Cat. 5. Nec multum a quibusdam illorum, quae adhibui, distant nebulae tenues agitantia fumos, ubi qui importare conati sunt imitantia vel mutantia, operam perdiderunt, Ov. Met. I, 571 (ambusta nebulae fumant ib. II, 209).

Addendum iacere. Jacis finem vitae et laborum Lucr. III, 956, quod iniuria sollicitant; nec justius aditus iactus ap. Cic. leg. agrar. II, 15 lacessitur, jactaque convicia Ov. Met. V, 665, quamquam neque illum facere finem dedecet (III, 1106), neque hunc facere convicia (Met. IX, 302. XIV, 710). Ad haec jacere vocem Lucr. IV, 580, iaciunt odorem ed. II, 846; iniicere frustrationem Pl. Amph. III, 1, 15. Quamquam in tanto vocabulorum consensu dissentire persaepe codices vix quisquam miretur; v. Bach. ad Ov. Met. VI, 408. 786. Gierig. ad Fast. II, 590. Sed jacere fundamenta Liv. I, 12 vel fundamina Ov. Fast. IV, 835, iacere molem et aggerem Caes. B. Civ. I, 25 et similia haud facile mutantur.

Sequitur ducere. Gemitus ducere pro ingemiscere Virg. Aen. II, 288

somnos ducere ib. IV, 560; ducere anhelitum pro anhelare Pl. Asin. II, 2, 61. Ov. Met. VIII, 555, et consimilia ducere coelum Ov. Trist. IV, 8, 25, spiritum ib. V, 6, 19, auras ib. V, 9, 11, suspiria Ov. Met. I, 656. X, 202, cervus ducebat frigus arborea ab umbra ib. X, 129. Tum ducere vitam Lucr. II, 997. Hor. Epod. XVII, 63. Virg. Aen. II, 641. III, 315, ducere aetatem Hor. Epist. II, 2, 202, in quibus peculiaris reperitur vis aut trabendi per tempus (trahere vitam Virg. Aen. II, 92. III, 647, tr. senectam Ov. Met. VII, 2, tr. moram ib. IX, 766), aut ductandi per locum. Namque ducere bellum quid sit, in vulgus notum: umbram late ducere Lucr. IV, 140, diu ducere sonum id. VI, 119, inertibus horis ducere obliviam vitae sollicitae Hor. serm. II, 6, 61, ducere vitam longius Ov. Met. XI, 702. Quibus adaptare vereor Lucretii locum II, 207: nonne vides longos flammaram ducere tractus, quod sunt qui passivi vice fungi arbitrentur, quibus equidem concedere dubito propterea quod arce adnexis insequentis versus vocabulis ducendi verbum regimine carere apparebit: nonne vides flammaram tractus (*θυμὸς* istos Arateos, v. Virg. Georg. I, 367) ducere h. e. vergi in quascunque partes (iis) natura dedit (concessit) meatum? Ad haec aut in novas formas mutata corpora aut mutanda in universum ducere perhibentur, quibus primitus caruerunt. Namque ut situm ducunt mucescentia Quinct. I, 2, 18, atque cicatricem hiantia Ov. Trist. III, 11, 66, ita formam ducit chaos Ov. Met. I, 402: sic purpureum colorem lurida ib. III, 485, sic viridia ducunt pallorem VIII, 760. Nec laboratur sicubi variatione opus sit; auxilio sunt trahere, rapere, sumere, capere. Atque uti vestis maculas, ita terra aequora traxit Ov. Fast. V, 13, faciemque traxere virilem saxa id. Met. I, 412, Aethiopum populos nigrum traxisse colorem ib. II, 236; pectora traxerunt ruborem III, 482. X, 595; squamam cutis trahebat III, 675, ossa lapidis traxisse figuram III, 399; naturam traxit eandem V, 205; traxere colorem XI, 305; traxi contagia Trist. V, 13, 3. Celeritatis significatione commendatur alterum: canitie posita nigrum rapere colorem Ov. Met. VII, 289 (fugam rapiunt praecipitia Fast. III, 866, incendia bitumineae vires Met. XV, 350). Deinceps humorque calorque sumere temperiem Met. I, 430, sumere pennas ib. IV, 47. XIII, 673, quibus Naso abundat. Nec quartum desideratur: lumen capiunt obscura Met. XV, 847, faciem favilla XIII, 605, lympa figuras XV, 309, duritiam mollia IV, 750; flos oritur formamque capit quam lilia X, 212. Ceterum ut duci suspiria et gemitus vidimus, ita trahuntur e pectore Ov. Met. II, 753. XI, 709, repetuntur XIII, 739, hauriuntur XIV, 129, aguntur Sil. Pun. XI, 221. Atque ut haec de lamentatione rebusque desperatis, ita sumere (adsumere) de confirmatis viribus roborisque auctu profertur: sumtis incursu (hyphen scrib.) viribus Ov. Met. XI, 510, sumsit novas fervoribus iras II, 175, scintilla adsumit alimenta VII, 79; sumere augmen pro augeri Lucr. II, 180. V, 680 (*ὑψος λαμβάνειν* Thuc. I, 91), sumere robora id. V, 818. 893, sumere conamen de iis, qui aethera mente concipiunt VI, 326. 1040 (proxime accedit *θυμὸν* vel *θάρασος λαμβάνειν*, cuius adversus Spitznerum patrocinium merito mihi suscepisse videtur God. Hermannus in Zimmerm. Ephem. 1840. p. 259). Ariovistus tantos sibi spiritus tantamque arrogantiam sumserat, ut ferendus non videretur Caes. B. G. I, 33; sumere confidentiam Pl. Capt. IV, 2, 25. Sed

prorsus auxiliaria sunt tentamina sumere *πειράσθαι* Ov. Met. III, 341, momenta sumere *κινεῖσθαι* X, 376, animo obsequium sumere h. e. indulgere, obsequi Pl. Bacch. IV, 10, 7, exordia sumere Lucr. I, 150. Quinct. I, 12, 19.

Neque angustius patet capere. Capere exordia Lucr. V, 332, capere initum movendi id. I, 384, capere motus Ov. Trist. III, 5, 32, capere impetum Mützell. ad Curt. V, 32, capere somnum Curt. IV, 13. Ov. Fast. IV, 530, sive quietem id. Met. I, 626. Fast. VI, 331 (*ὑπνον ἡροῦντο* Thuc. III, 49), non sine quodam voluptatis interdum ac dulcedinis colore; quemadmodum qui capere traditur spectaculum, spectat ille non modo, sed spectando oblectatur: vera capiet populus spectacula felix Ov. Trist. IV, 2, 65. Met. III, 246. VII, 780; unde si quis capientem gaudia alacriores in pectore ciere motus dixerit quam gaudentem, me quidem fecerit haud improbante: capere spectatae gaudia formae Ov. Met. XIV, 653. VII, 513. Trist. V, 8, 21. Verum capere fugam neque a nostro „die Flucht ergreifen“ quiddam discrepat, neque a Graeco *φυγήν αἰεσσθαι* v. Lob. ad Aiac. 246; nec taedia coepti ulla mei capiam Ov. Met. IX, 615. Ductum hinc capessere, cursum capessere Pl. Capt. IV, 1, 9; at illi capessunt fugam Curt. III, 13, 9. VII, 9, 13; nec tamen segnius proelium capessebat id. IV, 6, 25. IV, 14, 6; dubito quod primordium capessam Pacuv. p. 108. Quibus aequiparanda Graecorum *παλαισμάτων λάβε φροντίδα* h. e. *φρόντιζε* Pind. Nem. X, 40, *προμήθειαν λαβεῖν αἰνῶ* Aesch. Suppl. 178, *λαμβάνειν τὴν ἐξέτασιν* h. e. *ἐξετάζειν* Dem. Sept. p. 355, 19 Df., *ὁ ἐλαχίστος τὰς μεταμελείας ἐκ τοῦ χάριξοθαι τοῖς ἐναντίοις λαμβάνων* Thuc. I, 34 i. e. quo quem minus poenitet initalae gratiae; *δοκιμασίαν λαμβάνειν τῶν παιδῶν* Plut. de liber. educ. 13; *οἱ μνηστῆρες λῆπην ἐλάμβανον μετ' ἀρχῆς* Charit. I, 2, inversum ex consuetudine quae in animi motibus profertur formula *θάμβος λαμβάνει ἰδόντα* vel *καταλαμβάνει*, id quod eiusdem libri initio legitur. *τὴν ξυμμείρησιν τῶν κλιμάκων οὕτως ἐλαβον* (*ξυνμετροῦσαντι*) *ἐκ τοῦ πάχους τῆς πλίνθου ἐκάσαντες τὸ μέτρον* Thuc. III, 20; *εἰληφέναι τὴν μέρησιν* Plut. Aemil. P. 15; *Σόλων ἐλαβε τὰ τιμήματα* (censuit) *τῶν πολιτῶν* id. Sol. 18; *πάρεστι τούτου πείραν λαμβάνειν* Plut. Gorg. 448 A.

Restat dare. Quod quum adeo sit ventriosum atque obesum, ut gracilia ista assequi cursu non possit, infra transibit: nostrumque cogat agmen syntheton edere, quod aliquando excitandi, efficiendi in altero vim complectitur, ut Lucretio eloqui liceat II, 443 varios quae possint edere sensus, hoc est quae ita possint afficere tactu explorantes, varie ut sentiant; quocirca postponendam reor duorum librorum lectionem laedere, quae procul dubio, ut monet Forbiger, duorum versuum *δμοιοτελέτω* debetur. Sed est ubi transitio fiat ad subjectum: primum cum nominibus sonum denotantibus, edere vagitum Juven. VII, 196. Ov. Met. XV, 466; clamorem Lucil. sat. IV, 1; crebros gemitus Curt. IV, 10, 20; mugitus Ov. Met. I, 637. Trist. V, 1, 54; hinnitus Met. II, 669; latratus IV, 450, qualia in verbo simplici supra vidimus: sed apud solutae orationis scriptores alterum illud longe frequentius. Deinde edere victoriam pro vincere Tac. Agric. 34; edere orationem Pl. Mil. II, 5, 56, quamquam hoc quidem loco et versus gratia et ob ipsam sententiam praestat legere reddidit: pro eo dare orationem Enn. p. 277. Tum edere indicium Lucr. II, 557, edere pugnam id. II, 118. Curt. VII, 7, 37. VIII, 2, 37; proelium id. V, 4, 31; pugnas et

proelia Lucr. IV, 1006; edere certamen moeroris h. e. lugendo inter se certare Curt. X, 5, 9; edere strages Virg. Aen. IX, 526. 784; denique variantes edere formas, h. e. speciem praebere mutabilem Lucr. V, 721.

Ita postquam de verbo *ἐνεργητικῶ* ejusque vicariis cum substantivo congregatis exposui, traducatur jam disputatio ad ea documenta, quae cum adjectivorum genere copulata exhibent. Atque iterum ut praegrediatur principium moris Graecia, Demosth. de foed. Al. p. 216 *ἐκσπόνδους αὐτοῦ ποιήσαντες βουλευσώμεθα*, postquam illos foedere exclusimus. Plat. Epist. II. p. 310 B *Δίονα δὲ μόνον ἐξάλειτον ποιεῖ*, eximium habes Terent. Hecyr. I, 1, 9, et quot litus habet arenas: quod Latinienses assecuti posterius facere dixerunt, si quid postponendum censerent, Hor. Serm. I, 4, 59. Qua in parte de iis agere auspicabor, quae aut prorsus immutatam aut multis certe numeris sive perfectiorem sive debiliorem ferunt conditionem: in quo utriusque status, et quo non mutata res constitit, et quo mutata fruitur, verbis expressi attulisse exempla e re erit. Facere candida de nigris et de candentibus atra Ov. Met. XI, 315; qui ex parata rem imparatam omnem facis v. Lindem. ad Pl. Capt. III, 4, 6. Cas. IV, 4, 8. Adde Cist. III, 21 si possum tranquillum facere ex irato; Pseud. IV, 2, 10 sed eccum qui ex incerto fecerit mihi quod quaero certius (quantum conjectura auguror, impedimento erat multus lateque disseminatus hujus comparativi verbo adnexi usus, quominus prima positione uti mallet: ad ceterorum exemplum Ter. Eun. I, 1, 16 haec incerta si postulas certa facere). Rud. II, 6, 33 qui te ex insulso salum feci opera mea; Epid. I, 1, 79 expeditum ex impedito facere; Cas. II, 3, 7, hominem ex tristi lepidum et lenem faciet amor; Sall. Cat. 5, ex pulcherrima pessima et flagitiosissima facta est. Altera his statuminatur ratio: Ter. Eun. II, 2, 23 hic homines ex stultis insanos facit; Sall. Jug. 10 tua virtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti; Pl. Stich. V, 4, 46 fac nos hilares hilariores. Inde evenit ut cum secundo motionis gradu jungi consueverit, factum esse indicans, ut exemplo utar, ex minus probo, insano probiorem, insaniorem. Ex insana insaniorem facies Pl. Amph. II, 2, 72, lubentiores faciam, quam lubentia est id. Asin. II, 2, 2, quorum si quis cogeret nubem, vix imbres remitterent. Quod cum in cujusvis generis adjectivis comparet, tum in iis, quibus cum sciendi notione est commercium, quae aut omnino, aut, si fallor, plerumque reliqua, de quibus postea dicturi sumus, verba respuunt. Fac me consciam Pl. Cist. II, 3, 46; propterea quod me non scientem feceris Asin. I, 1, 34; te scientem faciam, quidquid egero Ter. Heaut. IV, 8, 32. Deinde facere certum (quod apud oratores legi negat Heusing. ad Vechn. Hellenol. p. 57, poetis placere ait Bach. ad Ov. Met. XI, 415) Pl. Pseud. I, 1, 16. Ov. Met. VI, 268. Virg. Aen. III, 179, nam neque certificare legitur, neque certiorare nisi Jctorum auctoritate sancitum est, necdum de certissare an unquam fuerit inter viros doctos convenit; et facere incertum Ter. Phorm. IV, 1, 12. Ov. Met. IV, 132. At aliquanto frequentior est comparativus, facere certiozem Pl. Aul. II, 2, 67 (nec quisquam est, a quo certior esse queam Ov. Trist. III, 14, 44), fieri certiozem Sall. Jug. 46. Paulo inflexum, quia et homo certus fieri et res certa esse potest, Pl. Men. V, 2, 12 facit mihi hoc certius. In his plerumque, maxime apud historiarum enarratores, vernaculo

„benachrichtigen“ commode vertitur \*). In universum igitur constituimus, cum adjectivis ita consociari verbum facere, ut uno vel transitivo vel factitivo reddi queat: sed procuderitne linguae solers ingenium an procreare dedignatum sit, ipsius sive arbitrio relictum fuit, sive iudicio. Virg. Aen. XII, 316 ego foedera faxo firma manu; firmabo. Att. ap. Fest. s. vastus: hanc urbem ferro vastam faciet (vastabit) Peleus. Pl. Asin. III, 1, 1 nequeo ego te interdictis facere mansuetam meis? Facere fortunatum (fortunare Afran.) Pl. Aul. II, 8, 17, beatum Ov. Met. I, 589. Hor. Epist. V, 6, 2, 47, f. locupletem ib. I, 7, 15; orbum (orbare liberis) Ov. Trist. V, 1, 57; saucium Ov. Trist. I, 1, 76. Pl. Pers. I, 1, 24; reducem Ter. Heaut. II, 4, 18. Hee. V, 4, 12. Pl. Capt. prol. 43. II, 3, 77; exanimalem id. Bacch. IV, 8, 7; exheredem ib. IV, 8, 8. Most. I, 3, 77; liquidum Luc. VI, 230. 967; calidum id. VI, 869; gravidam (gravidare Caecil.) Pl. Amph. prol. 103. 109. V, 2, 6 (praegnantem Aul. II, 1, 41); facere domum vacuum Nep. Timol. 3. Sall. Cat. 15; vilem Pl. Mil. IV, 6, 28 (vilificare in dubitationem vocatur); facere apertum, aperire, explicare Lucr. II, 934, quod facere planum dixit Pl. Rud. IV, 4, 88 (v. Lindem. ad Mil. IV, 2, 28, manifestare Ov. Met. XIII, 106); facere se versipellem, pellem vertere Pl. Amph. prol. 123; se pensilem i. e. se suspendere Pseud. I, 1, 87; se celerem, celerare Trin. IV, 3, 1. Facere memorem, commonefacere, Virg. Aen. VI, 664 (immemorem Ov. Trist. IV, 1, 40); profanum Virg. Aen. XII, 779, tutum Juven. sat. V, 91. Ov. Met. VI, 194. VII, 134. Trist. II, 1, 517. V, 2, 70; laetum (laetare Att.) Juven. VII, 83; aequabilem vel aequum (exaequare) Pl. Capt. II, 2, 52. Ov. Trist. III, 12, 4; curvum Pl. Cas. I, 1, 36; sepelibilem Cist. I, 1, 64; nobilem Curt. IV, 9, 9; reliquum id. VI, 9, 27; stabilem id. VIII, 8, 12; sanum Pl. Men. V, 4, 5; dividuum Rud. V, 3, 52; mitem i. e. mitigare Afran. ap. Non. s. mitis, viduas faciet (viduabit) adulescentes id. ibid. s. spurcum; facere participem Cic. Fam. X, 12 (participare est *μετέχειν*, pro *μεταδίδόναι* impertire Plauti stabilitur auctoritate Pseud. I, 5, 41 v. Lindem. ad Mil. II, 2, 108). Superest ut de Plautino crurifragio loquar, quod comedendum nobis apposuit in Poen. IV, 2, 64 continuo is me ex syncerasto crurifragium fecerit. Ac primum omnium constat, et crurifrangum et crurifrangium iis, quae de verborum compositione sancitae sunt, legibus adeo adversari ut illico expungendum sit utrumque, deinde substantivum ab adjectivo epenthesi vocalis discerni v. Lob. Paralipp. I. p. 133 (quo iure Freundius in Lexico suo crurifragium pro adjectivo habuerit, *ἀνὸς γινώσεται*): itaque legendum censeo, ut verba scripsi: ac perfaceta servuli *δεδοικότες τούτων τὸν οἰωνόν* annominatio, ne ex syncerasto (v. Varr. L. L. VI, 3) fractis ossibus fartum fiat, Pl. Mil. I, 1, 8. Ex istis quaedam vetustior aetas verbo potuit compensare, aut enim duxit ab ipsis adiectivis, pauperare Plaut. Titin., vilitare Turpil., divitare Att. (ditare melius est), sospitare Enn. (sed hoc Livianum quoque), incertare Pacuv., propitiare id. (nec Tacitus dedignatus est), amplare id. (am-

\*) Recte hoc vidit Zumptius §. 394. adn. 1, sed quod addit, ab aliis adjectivis verbum reddere praeoptari, hoc ut parum credibile est, ita re ipsa reprobatur.

plificare apud optimum quemque legitur), aut utriusque vocabuli rationem habuit, notificare Pompon., orbificare Att., quae omnia gliscentibus annis quo magis in desuetudinem abierunt, eo promptior facta est periphrasis.

Sed sunt, ut dixi, formulae, quarum in unum coitio cogitari tantum, notari latine certe coniugato verbo non potest: quae pars supplendo factitivorum generi inservit. Facere irritum Pl. Amph. III, 2, 44. Ov. Met. III, 336, et contra positum facere ratum ib. IV, 387; auritum i. e. attentum facere populum Cic. de Or. II, 79. Pl. Aul. prol. 4; exilem et inanem facere id. Stich. IV, 1, 21; amantes facere convenas Mil. II, 1, 61, facere superbum Amph. I, 1, 201. Ov. Fast. I, 595; impudicum Pl. Amph. II, 2, 204; infectum, ungeschehen machen, Truc. IV, 2, 17. Most. I, 3, 27; pervium Aul. III, 2, 24. Curt. VIII, 2, 20. VIII, 10, 26 (perviam facere angulos Pl. Aul. III, 2, 24 valde memorabile); comptem Capt. prol. 41. II, 1, 22; copem Bacch. II, 3, 116. Turpil. ap. Non. s. copi; obnoxium Trin. II, 1, 33; parem Virg. Georg. I, 208. Curt. VI, 6, 3. VII, 6, 11. X, 2, 25. Ov. Met. VIII, 662; facere nuptias repudiosas i. e. ut repudientur Pl. Pers. III, 1, 56; facere superstitem Tac. Hist. II, 7; facere delirum, nam delirare intrans. est, Pl. Amph. IV, 3, 48; facere suspectum, verdächtigen, quod suspectare efficere non potest sed periphrasi utendum, qualem ap. Quinctil. IV, 1, 11 legimus, Curt. VII, 1, 32. VII, 3, 34. Quinet. IX, 2, 59; facere festinem (ne festinare quidem sic profertur) Titin. ap. Non. s. festinem; facere extorrem Turpil. ap. eund. s. extorris; facere infestum, verfeinden, quum infestare sit anfeinden Ov. Met. XIII, 731, Lucr. V, 981; facere disertum Hor. Epist. I, 5, 19. Quinct. X, 7, 15. Ov. Met. XIII, 228; facere sibi proprium, sich aneignen Hor. Epist. I, 17, 5. Pariter passivum, fieri nigrum, nigrescere Lucr. II, 824; maturum, maturescere id. V, 939. VI, 729. 841. 845; fervidum, feryescere id. VI, 307; fieri calidum, calescere id. VI, 888; fieri purpureum, purpurascere Ov. Met. VI, 48; fieri viridem, virescere ib. VII, 280; fieri gelidum, gelascere VII, 560; fieri aridum, arescere II, 237. Trist. III, 14, 36; fieri durum, indurescere ib. V, 10, 2, quo quidem adiutorio gaudent inchoativa: nam fieri falsum Sall. Cat. 6 non habet quo uno expleatur: falsus nimirum aut passivae potestatis proprios limites tuetur, aut superatis terminis in activi generis fines transmigrat; utriusque Sallustius auctor conditionis, Jug. 85 illi falsi sunt h. e. falluntur, qui divorsissimas res pariter exspectant. Fieri verendus coepit Ov. Met. IX, 270. Contra, si tu quoque orbus fieres luminis ib. III, 518; solet numen fieri placabile id. Trist. II, 1, 141; dies quae fieri cruenta solet ib. IV, 10, 14, in his verbum satis facere non diffiteor.

Est quoque ut cum perfectorum participiis copuletur facere, quorum in locum ut singularia substituantur vel transitiva vel factitiva, iterum aut suppetit linguae thesaurus aut deficit. Pervulgatum est et constanter dictum pro mittendo vel omittendo missum facere, Lucil. sat. XXI, 82 hoc missum facies, illo me utere libente; Pl. Trin. V, 2, 44 ut ea missa faciat omnia; Merc. V, 4, 40 missas ego istas artes feci. Cui formulae quum aures adsuevissent, adeo est facta firma ac stabilis, ut ne accommodato quidem nomini participio Pompeius ap. Cic. ad Attic. VIII, 12 B sustineret scribere: ut cohortes ad me missum facias, quod haud scio an iunctim rectius scribatur. Certe Frid. Lueb-



kero, qui in commentatione de participiis graecis latinisque p. 66 supinum huic loco obtrudit, non assentior: eundem de Propertii verbis temere iudicasse arbitror; mutatum enim accusativus est a cogendo pendens, cf. Ov. Trist. IV, 7, 20. Cetera id generis quum apud oratores non fere sunt obvia, tum poetae scenicis exceptis non captaverunt. Ceres vitiata semina fecit, quo verbum circumlocutus est Ov. Met. V, 480. Nec ante hunc excruciatum facias, quam rem intellegas Pl. Amph. IV, 3, 72; te faciam confossiorem Bacch. IV, 8, 48; ego te hodie recte faxo acceptum Rud. III, 5, 21; ademptum tibi iam faxo omnem metum Terent. Heaut. II, 3, 100; faxo eum tali mactatum infortunio id. Phorm. V, 9, 39.

Sed una maxime memorabilis est cum praesentium participiis societas, ex qua ut Graecis permessa fuerunt *πλουτοῦντας ποιεῖν* Arist. Plut. 497, *περιόντας, βαδίζοντας ποιεῖν* Plat. Euthyphr. p. 15 B, ita Latinis concessum videmus ferventem facere pro fervescere Pl. Amph. IV, 2, 10, aliaque quorum verba desunt: undantem facere chlamydem Epid. III, 3, 55, florentem facere Men. II, 3, 25; flentem facere Pseud. IV, 4, 4; laetantem facere Stich. III, 1, 6; delirantem facere Amph. II, 2, 157; formulae denique scientem facere supra legentes commonefecimus. Segreganda ab his, in quibus fingendi vis aut simulandi cognoscitur; primum cum participiis: Xenophon Socratem facit disputantem Cic. Nat. D. I, 12 (mortem ac vitam contententes tradit Ennius Quinct. IX, 2, 36), a quo proxime abest: Plato construi a Deo atque aedificari mundum facit, ib. I, 8, neque enim deterius foret, si Deum construentem fecisset. Sed de hoc v. Zumpt. § 619, qui non videtur considerasse, infinitivum nec fastidisse Persium sat. I, 44 quisquis es, modo quem ex adverso dicere feci, neque Ovidium Met. VI, 75 stare Deum pelagi facit Pallas in tela pingens, sicut Arachne aemula fecit Asterien teneri Ledamque recubare sub alis ib. 108, v. Bach., neque alios complures, quorum locos Lexica praebent. Nec foret absonum, si quis huc revocaret Plutarchi locum, quem Sintenisius exemplo carere ait: *Κλειδῆμος δὲ καὶ τοῦτο Θεμιστοκλέους γενέσθαι ποιεῖναι στρατήγημα*, Them. 10. Deinde cum adiectivis: facere se facetum et magnificum Pl. Asin. II, 2, 84; se bardum facere Epid. III, 3, 40; se ferocem, fidelem, magnum facere Curc. IV, 3, 7. Mil. II, 4, 55. III, 2, 10; se hilarum facere Ter. Ad. V, 3, 56; se hilarum et lubentem facere id. IV, 7, 38.

Sequuntur, quae eidem vocabulorum generi adnexa aut vicissitudinis gratia plausibilia evaserunt, aut finitiore paullulum ambitu commendantur. Quorum frequentatione primum est reddere. Singulis hoc e quibus conflatum est partibus ad amussim respondet Graecanico *ἀποδιδόναι* v. Viger. p. 583: inde de eo dicitur, quod debemus, cui officio sumus adstricti, *ὑπόσχεσιν ἀποδιδόναι* promisso stare Thuc. II, 95, Pl. Asin. I, 1, 109, quod acceptum (Virg. Georg. IV, 172) retro (Habicht. synon. p. 535) vel iterum (Lucr. III, 861) vel rursus (Ter. Phorm. III, 3, 5) dandum est. Hinc Pl. Asin. II, 4, 49 et Demaeneto tibi hero praesente reddam istud argentum quod debeo; Bacch. II, 3, 11 salutem reddis quam dedi; Ov. Trist. I, 8, 26 accipere et parili reddere voce vale: et de sono repercusso pluries, Hor. Carm. I, 20, 7. Curt. V, 4, 25. Nec secus reddere rationem Lucr. I, 54. Curt. IV, 13, 24 dicitur is, cui restituenda est ratio Pl. Pönul. V, 3, 45, a quo ratio poscitur Lucr. V, 752, quod est

ἀποδιδόναι λόγον vel διήγησιν, quae quidem nomina non semel subaudiuntur; sed ne Italis quidem haec ellipsis displicuit, Lucr. IV, 504 reddere causas utriusque figurae. Quodsi indiligentius officium istud observatur, satis facit dare Pl. Mil. III, 1, 175. 177. Trin. IV, 2, 30 (λόγον δίδοναι Sinten. ad Plut. Themist. 10; ap. Lucr. VI, 1225 ratio remedii ipsum φάρμακον circumloquitur) vel edere rationem Pl. Aul. II, 8, 12. Insignis est Suetonii locus: ex quo collegio sorte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes et scenicos ludos, superque oratorum ac poetarum certamina, Domit. 4. Quo loco etsi redderent non ita insulse dictum foret, quod qui magisterio funguntur, officio obligantur ad tuendas diligenter muneris partes, tamen edere ludos quod dicitur adeo usu receptum est, ut utrum proscribendum sit, vix debeat dubitari. Nam quod Terentii opponunt Andr. III, 1, 21 hiccine si me imparatum in nuptiis adortus esset, quos mihi ludos redderet, id ἑκατὸν σταδίοισι distare apparet. Jam Caium fingamus Sempronio rem aliquam tradere, quae vitio laboret: hoc dexteritate sua Sempronium removere ac reddere rem Caio, sincerio-rem eam ac puriorem diversamque omnino ab accepta: ita hic dici poterit perfecisse, ut res plane alia sit ac fuerit ante. *Ἐἴ τις εὐφρᾶ λάβουσα τέχνη φῶτα ἔθρησε χεῖρονα* Plat. Gorg. 486 B; *εἰ παραλαβὼν μὴ λακτίζοντας μηδὲ κρηϊτιονίας αὐτοῖς ἀπέδειξε ταῦτα ἅπαντα ποιοῦντας* 516 A. Sic Iphicratem tradit Cornelius hastae modum duplicasse, gladios longiores fecisse, quo pacto expeditiores milites reddidisse: namque si gladios longiores reddidisse eum proposuisset, de ferrario cogitaremus; altero solerti duce nihil dignius, neque honestius quidquam Themistocli, quam bello ferociorem reddidisse civitatem suam, Nep. Them. 2, praedonesque consecrando mare tutum reddidisse. Ter. Andr. III, 3, 15 reddes omnia, quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient, h. e. incerta reddes. Pl. Merc. V, 2, 115 tam propitiam reddam, quam cum propitia est Juno Jovi; Capt. II, 2, 76 multos lucrum luculentos reddidit; ib. III, 2, 4 ita me lassum reddiderunt; ib. IV, 2, 42 et petronem et dominum reddam miserimos; Asin. I, 2, 19 reddam ego te ex fera fame mansuetam; Ter. Ad. IV, 1, 18 tam placidum quam ovis est reddo; Hec. V, 1, 35 facilem benevolumque lingua tua iam tibi me reddidit; Hor. Serm. II, 3, 270 haec si quis mobilia et caeca fluitantia sorte laboret reddere certa sibi; id. A. P. 47 notum si callida verbum reddiderit iunctura novum; ib. 304 fungar vice cotis, acutum reddere quae ferrum valet; Att. fr. p. 166 ut me depositum et moerentem alacrem reddidisti; Cic. Verr. II, 34 domum eius exornatam atque instructam fere iste reddiderat nudam atque inanem; id. Inv. I, 2, 2 homines ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos. Proxime accedunt Lucretii reddere catenam ex annellis VI, 911, et pascua reddere rura h. e. campos a natura datos in arborum formam redigere V, 1247; denique I, 210 quoniam incultis praestare videmus culta loca et manibus meliores reddere fetus, quod egregie defendit Forbiger; nec multo post legitur: nostro sine quaeque labore sponte sua multo fieri meliora videres: quae enim sponte fiunt, hominum opera meliora redduntur, v. Bach. ad Ov. Met. I, 102. IV, 396. Adiectivorum virtutem participia aemulantur, quibus scenicorum fabulae scatent. Impetratum reddere Pl. Bacch. II, 2, 20. Epid. I, 1, 46. Mil. IV, 5, 15; actum reddere Trin. III, 3, 90; transactum reddere Capt. II,

2, 95; lenitum reddere Bacch. V, 2, 31; effectum reddere Pseud. I, 3, 152. I, 5, 116. V, 2, 14. Ter. Andr. IV, 2, 20; commotum reddere ib. V, 2, 23; dictum et factum reddere id. Heaut. IV, 5, 12; excoctam reddere et atram id. Ad. V, 3, 63; exercitatum reddere id. Hec. III, 3, 47; inventas reddere minas Phorm. III, 3, 26; te delibutum gaudio reddo ib. V, 6, 16; quam ego actutum partitam reddam Pammach. ap. Fulgent. p. 565.

Quae cum ita sint, in scriptoris arbitrio ponendum est, volueritne istam valere rationem nec ne; si noluit, simplex dare, de quo postea videbimus, aut facere subiecit; nec mirum inde, si eadem adiectiva utrique consociata leguntur, aperto parumve claro discrimine: reddere mansuetum Pl. Asin. I, 2, 19; infectum reddere Most. IV, 3, 23. Hor. Carm. III, 29, 47; fieri infectum Ter. Phorm. V, 9, 45; reddere reducem Pl. Capt. V, 1, 2. Trin. IV, 1, 4, satis illud perspicua differentia: hoc Lares tangit domesticum, vel patriam civem suum reposcentem, contra si facit reducem fortuna, nec domus nec patriae desiderantis commonemur. Deinde reddere calidum Lucr. VI, 856, gravidam IV, 1234, similem IV, 108. VI, 1123 (similem fieri IV, 1207), quibus omnibus verbum facere additum modo vidimus. Leguntur praeterea reddere madidum Pl. Aul. III, 6, 37, lenem Capt. II, 1, 5, otiosum Truc. I, 2, 36. Capt. III, 2, 4, placidum Curc. V, 3, 49, mollia Lucr. I, 567, infinitum I, 1010, raucum IV, 533, agros funestos VI, 1138, hebem Caecil. ap. Charis. p. 107, surdas aures Ter. Heaut. II, 3, 89, prudentem Hor. Epist. II, 2, 155, insignem Virg. Aen. V, 705, iratos reddere sibi deos Nep. Agesil. 2, ignes perexiguos reddant id. Eum. 9, tuta ab hostibus reddebat Caes. B. G. II, 5. Quamobrem per mihi mirum videtur, quod cum secundo adiectivorum gradu rarius coniunctum legitur. In Plautinis quidem fabulis unum si eximis locum Aul. II, 9, 6 galum glabriorem reddes mihi quam volsus ludius est, frustra quaeres; quamquam ne hoc quidem satis idoneum argumentum, quia exaequando ludio comparativus evocatur. Item Nov. ap. Non. s. panus: qui me miserum miseriorem reddidit quam panus puerum. Adde Lucr. VI, 609 mare mirantur non reddere maius naturam; Hor. Epist. II, 1, 34 si meliora dies ut vina poemata reddit; Nep. Attic. 19 quae coniunctio familiaritatem reddidit frequentiore. Sed neque in Sallustianis, neque in Taciteis libris ullum obviam mihi factum est documentum; quid quod primam adiectivi positionem ita iungere fugiunt, nam quod ex Historiis adhiberi possit III, 38, ad ista *ἀρχένα λοξὸν ἔχει*; abstinuit Quintilianus in Inst. Orat., parcissime usus est Ovidius, Met. XV, 313 potum flumen saxea reddit viscera, Trist. V, 8, 5 mala te reddunt mitem placidumve, nam Met. III, 475, Trist. II, 1, 36 adiectiva non sunt attributa, verum additamenta arcte cum nominibus consocianda; ut monendi videantur novicii scriptores, ne quid ex proclivore quam fas est usu insolentiae capiat stilus. Difficilior est Lucretii locus II, 168 materiai naturam non posse deum sine numine reddi tantopere humanis rationibus admoderate, cui patrocinator Forbiger. In quo si quis adverbium existimet cum verbo ita cohaerere, ut praedicatum sit ad naturam revocandum, haud inepte quidem censuerit v. Ellendt. ad Cic. de Or. III, 37; interim reddi materiam malim equidem pro fingi vel effici dictum esse accommodate ad humanas rationes. Convenit usu, sed documentorum inopia ad-

modum quam infirmum ἀποδιδόναι: ἡ γυνή σε μαλθακὸν ἀποδέδωκε Dionys. Halic. IV, 29, μετριοτέραν ἀποδοῦναι τὴν ὑπερηφανίαν Diod. Sic. nescio quo loco.

Proxime abest a reddendo redigere. Cuius verbi par nobile documentorum exstat apud Caesarem: quae facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat B. G. II, 27; Suevi hos vectigales sibi fecerunt ac multo humiliores infirmioresque redegerunt ib. IV, 3. Adhibitis Plinianis: carnes excrescentes ad aequalitatem et cicatrices ad planum redigere, Heldii, qui accuratissime lite diiudicata posteriorem locum non abhorrente quidem a sententia, sed a glossatoris haud dubie manu profecto interpretamento liberavit, sententiae subsigno.

Restant quae, ut pro nimia exilitate conspergeretur variis quasi verborum floribus oratio, illorum vices observare voluit benignus sermonis genius: quibus peregrinae linguae opes assimilare e re erit. Faciendi verbo consanguineum efficere Lucr. VI, 52 efficiunt animos humiles formidine divum, quod Lambinus interpretatur ταπεινοῦσι τὰς φρένας, ad terram abiiciunt; Caes. B. G. IV, 29 qui dies aestus maximos efficit; Ov. Trist. V, 10, 8 efficit angustus mihi bruma dies; ib. I, 1, 121 effecta est dissimilis priori; Caes. B. G. III, 24. V, 33 nostros milites alacriores effecissent; ib. VI, 7 fugae similem profectionem effecit; Ov. Met. II, 653 te ex aeterno patientem mortis (mortalem) numina efficient; ib. VIII, 634 paupertatem fatendo effecere levem; XV, 447 efficere potentem. Praedam irritam facere Tac. Hist. III, 34; ratas efficient preces Ov. Fast. I, 696, ratum effecit nomen Liv. I, 6; me extorrem patria domo inopem et coopertum miseriis effecit Sall. Jug. 14; incautum intectumque efficere Tac. Ann. IV, 1; clariorem efficere rem ib. XIV, 19, sollicitum efficere Liv. Praef.; morosos mores hominum efficere Pl. Trin. III, 2, 43 et ubi simplex amat collacari: incertos obsessores effecerat Tac. Ann. IV, 50. Graecorum exstant ἀποτελεῖν, κατασκευάζειν, παρασκευάζειν, ἐργάζεσθαι ab eoque composita quaedam: ἀμείνους ἐκ χειρόνων ἀποτελεῖν Plat. Politic. 297 B; ὑγιῆ ἑξαίφνης ἐκ κάμωντος ἀποτελέσαι Marin. V. Procl. 7; τῶν διαβολῆτων ἀκρότατος ἀπετέλεσθη Luc. Pseudom. 4; βιαιὰν τὴν ἀρχὴν καὶ ἡτιονα κατασκευάζομενος Xen. Hellen. II, 3, 20; τὴν πόλιν παρεσκευάσαμεν ἀνταρκεσιάτην Thuc. II, 36; τοὺς ἀμικνονμένους εὐνοὺς ἐργαζόμενος ἀπὸ Luc. Pseudom. 31; τὰ φητὰ καρπιμώτερα ἐξεργάζονται id. Gymnas. 20; ἅμα δὲ τοὺς παῖδας ἀπεργάζονται δειλοτέρους Plat. Civ. II, p. 381 E. Accedunt, ut una absolvam, poetarum τεύχειν, κτίζειν, πορσύνειν, ἀνύειν: ὕμνος ἰσοδαίμονα τεύχει φῶτα Pind. Nem. IV, 135; πολλὰς Περσίδων ἐπίσαν εὐνίδας Aesch. Pers. 288; ἀπὸ μόνῃ νιν πορσύνειας Maxim. Philos. περὶ καταρχ. 259; ἡγύσαι' ἐκτοπίαν φλόγα πῆματος Soph. Oed. Tyr. 166, quod recte expediunt scholiastae.

Monendum est praeterea de verbo concinnare. Pl. Amph. II, 1, 31 lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem. Concinnare aliquem insanum ut diceretur Varro auctor fuit, quo eodem Plautus usus est Capt. III, 4, 69. Tranquillam concinna viam Stich. II, 1, 13; lanii concinnant liberis orbas oves Capt. IV, 2, 38; qui suis se concinnat (praebet) levem Trin. III, 2, 58; annonam caram e vili concinnant viris fr. Clitellar. 3. Sed in oratoria scripta viam non protendit. Vechn. Hellenol. p. 405.

Deinde verba sistendi et statuendi. Sistere aliquem sanum atque validum Gell. N. A. XVIII, 10; suam rem sibi salvam sistam Pl. Poen. V, 2, 123

(Rud. IV, 4, 5. V, 3, 3); modo se victorem sisterent Tac. Ann. II; 14. Consistere Lucr. VI, 11 per quam possint vitam consistere tutam; denique constituere ibid. III, 308 quamvis doctrina politos constituat quosdam. Sed haec quo pauciora numero, eo effusius suis Graeci utuntur *τιθέναι* et *ιστάναι*, πράττει όπως ἀθάνατον ἐστήξει τὸ μῖσος Liban. Tom. IV p. 699, v. Lob. ad Ajac. p. 156, et aliquanto frequentius *καθιστάναι*: τὰς τιμὰς ἀναιρῶν ἀχρεῖον τὴν ἐπιείκειαν καθίστησι Dem. Lept. 504; ὅστις βούλεται κύναι κατασεγῆσαι καὶ θεῖναι κυγάδας Ael. Hist. An. I, 38, sed num per compositionem inde profectum vocabulum hanc periphrasin imitetur, mihi quidem non exploratum est.

Tum exhibere. Pl. Asin. II, 4, 51 rem salvam ego exhibebo, a quo non multum absunt Cic. pro Sext. 50 Pompeius se auctorem meae salutis exhibuit; Phdr. fab. IV, 23 quorum virtus exhibet (efficit) solidum decus; Quinct. XII, 2, 7 qui vere civilem virum exhibeat, omisso pronomine, cui appositum est Ovidianum Pallada exhibuit Met. VI, 44; exhibita est Thetis ib. XI, 264; promissa exhibuere (fecere) fidem ib. VII, 323.

Restant praestare, in quo superat quidem reflexivae positionis auctoritas, quae nostro „zeigen“ expeditur: se incolumem praestare Lucr. III, 221; integrum se ac placabilem filio praestaret Tac. Hist. IV, 52; dignum praestabo me Hor. Epist. I, 7, 24, interim inservit quoque periphrasi: ut dii te sospitem incolumemque praestarent Plin. Panegy. 67; hae latebrae dulces incolumem tibi me praestant Hor. Epist. I, 16, 16; meliorem praesto magistro discipulum Juven. sat. XIV, 212; quod praestant oculis omnia tuta suis Ov. Fast. V, 133; ea res tutum Alexandro agminis latus praestitit Curt. III, 9, 11; qui vos ab omni tutos praestem iniuria Phdr. fab. I, 31, 9; Maiestas praestat sceptrā tremenda (ita leg.) Jovi Ov. Met. V, 46; tu nos praestabis invictos Curt. IX, 6, 7; vos modo ab intestina fraude me praestate securum id. IX, 6, 24; hoc securum Deae cultorem praestat Tac. Germ. 45; praestare Neronem securum valet haec aetas Juven. sat. VIII, 170; mens se praestitit invictam viribus usa suis Ov. Trist. IV, 10, 104; docilem praestare Quinct. IV, 1, 34; similem id. X, 2, 3.

Ostendere. Juven. sat. XIV, 60 nitidas ostende columnas, hoc est leviga vel nitida, cuius verbi quum Ennium non pudisset, ne seriores quidem pertaesum fuit. Quocum conveniunt tritissima Graecorum *δεικνύναι* cum synthetis et *ἀποφαίνειν*: ἀλωσις πόλεως ἐν δράματι θρηνοῦντα τὸν δῆμον ἔδειξε Liban. Decl. Tom. IV. p. 454; μειδιῶντα αὐτὸν εὐθὺ ἐδείκνυε Himer. Or. XVII, 258; ὑγιέα μιν ἀπέδεξε Hdt. III, 134 (paullo supra φὰς ὑγιέα ποιήσιν); φοβεροὺς καὶ χαλεποὺς ὑμᾶς ἐπιδεικνύναι Dem. de Chers. p. 98; τιθασὸν με ῥαδίως ἀποφανεῖν ὑπισχεῖτο Luc. Pseudom. 55.

Longiore distat intervallo praebere, nec recte dici puto sanum, securum praebere aliquem: at cum ad subiectum refertur, praebere se docilem, placabilem; nihil frequentius. Verum latius patet Graecorum *παρέχειν*, nec solum inquiritur apud Demosth. Lept. 503 εἰ πολλοῦ Δεινίας ἄξιον ἐντιὸν παρέσχηκε, laudanturque ab eodem 472 οἱ παρασχόντες χρησίμους αὐτούς, sed inventorem etiam scriptoriae artis ita verba facientem audimus: τοῦτο τὸ μάθημα σοφωτέρους Αἰγυπτίους καὶ μνημονικωτέρους παρέξει Plat. Phdr. p. 274 E, nec veretur Thucydides dicere II, 62 τὴν τόλμαν ἢ ξύνεσις ἐχρησιώτεραν παρέχεται.

Claudit agmen tradere, verbo reddere consanguinitate propinquum. Pl. Curc. III, 1, 15 ego hoc effectum lepide tibi tradam. Ov. Met. VII, 374 Phyllius imperio pueri volucres et leonem tradiderat domitos, quocum congruit Hor. Carm. II, 4, 11 ademptus Hector tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis.

De nomine egimus tum positivo tum adiectivo: iam quid de verbis statuendum sit primario isti subiunctis, explorandum erit. In quo quid alii sibi sumserint populi, prius intueamur. Plat. Civ. II, 381 E *ἡμῖν δὲ ποιοῦσι δοκεῖν σφᾶς παντοδαπὸς φαίνεσθαι*, uns aber wollen sie sich erscheinen lassen i. e. sich zeigen. Lucian. Alxdr. 10 *αἰ. δέλοι διαγοιτῆσαι τὸν λόγον ἐπιόησαν*. Dem. Lept. 489 *τοὺς τῶν κοινῶν κυρίους ὁμοιοῦν ποιεῖ*. Similia Graecorum praestantissimus quisque. Nec quos recentius aevum protulit, Francogalli dubitant proferre faire voir pro eo quod est monstrare, quae consuetudo eo usque succrevit, ut ne iteratum quidem vocabulum habeat offensionem; je me fis faire un habit (fieri fecit ex Inscr. a Lexicographis affertur; Ov. Fast. VI, 280 quod ut fiat, forma rotunda facit; id. Trist. V, 5, 28 fieri quis posse putaret, ut facerem). Neque ideo intelligo quid nostrates erubescant uti consimilibus aufhören machen, weinen machen, quamquam qui malam abominantes contagionem Germanae originis integritatem ac sanitatem servare sibi videntur, Gallicismum increpantes, qui idem Graecismus foret, motum eunt his formulis infamiam. Latinorum quidem qui oratorie scribere existimantur ac sincere, infinitum modum fugisse videntur, nec Livius utrum XXII, 13 „Punicum abhorrens pro Casino Casilinum ducem accipere fecit,“ an „dux ut acciperet facit“ ediderit, satis constat. Unum praeterea profectur ex Cic. Brut. 38 nulla res magis tales oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt, cum Platonico isto mirifice congruens. Sed quod Sallustius ausus erat: quae audita Panormitanos dedere Romanis fecere, carbone notat Senec. Epist. 114. Verum poetae tantum abest ut tergiversentur, ut niti videatur in hoc genus, qui de rerum natura exposuit, vates: III, 101 habitum, qui faciat nos vivere cum sensu; 302 quae tremulum faciunt membris existere motum; V, 661 quae faciunt solis nova semper lumina gigni; 702 qui faciunt solem certa desurgere parte; 760 quae faciunt ignes interstingui atque perire; adde VI, 176. 213. 216. 455. 512. Notum est huiusmodi Virgilii Aen. II, 538 qui nati coram me cernere letum fecisti; sed Plautus quoque Epid. III, 3, 30 at ille, inquit, fidicinam facit nescire prorsus se esse emptam; Laber. ap. Non. s. deliritas: quatenam mens quae deliritas facit vos suppilatores cum cano eugio puellitari? Ovidius ut non captavisse ita non reformidasse videtur: hoc me telum flere facit Met. VII, 691; Cinyras, quem copia procorum dubitare facit X, 357; posse capi faciendo cepi XIII, 374; facis accepto munere posse frui Trist. V, 9, 14. Diversa sunt: fac ita esse, fac credere, fac me meruisse Ov. Met. II, 290, quamquam non latet transitus; qui enim finxisse traditur artifex, quid mirum si fecisse dicitur? Facit hanc dare pectus, illam pro populo cecidisse suo, ib. XIII, 695. Cuius in locum subeunt fingere (Ov. Trist. I, 2, 57. III, 7, 40. V, 6, 25. Met. II, 74. VIII, 114. IX, 505) et putare (Met. XIV, 488. Trist. III, 11, 33).

Cuius enunciatorum conformationis quum bonos taederet, aliam factivorum compensationem consectantes verbo quidem eodem uti constituerunt, sed

connexiva particula pro adminiculo adhibita. Ei ut ipsi numerarent summam faciebat Nep. Epam. 3; faciam ut intelligas Cic. Cat. I, 8. Ita Pl. Amph. prol. 60 nam me perpetuo facere ut sit comoedia par non arbitror; I, 1, 142 me herus meus fecit ut vigilarem; Asin. I, 1, 13 te faciam ut scias (Ter. Heaut. I, 1, 32), neque miri quidquam habet anticipatus in his accusativus a factitivo rectus; nec qui notaretur dignus esset poeta, si Stich. I, 3, 23 dixisset: paupertas me fecit ridiculus forem. Ter. Ad. V, 3, 62 faciam ut stipulam colligat, „ich will sie Halme lesen lassen“. Atque praeviam negativam particulam sequitur quin, ut Pl. Amph. I, 1, 142 Pseudososia loquitur: tu me non facies quin sim Sosia i. e. tu non efficies ut vel mihi vel ceteris etiam Sosia esse non videar, cui *παράλληλως* verus Sosia, tu me, inquit, non alienabis, quin noster siem. Vel, ubi altera tantum pars negatur, ponitur ne, Cist. II, 1, 5 di me faxint ne ego dem suavium; Att. fr. p. 170 luctus facit ne dubitem; Ov. Met. XII, 282. XIV, 354. Trist. IV, 6, 12, aut solito pleonasmo ut ne: quoniam fecisti uti ne cui moeror tuus calamitatem afferret Cic. Cluent. 60. Ov. Trist. I, 6, 7. At illud quoque pro amplissimo formularum usu longius dictum existimantes connexivam voculam eicere adsuescebant: Pl. Amph. prol. 63 faciam sit tragicomoedia; III, 1, 16 faciam res fiat palam (Lucr. II, 1004 efficit, res omnes convertant formas).

Verum cumprimis huc referenda, quae ad imperativi periphrasin pertinent: non sine adhortationis quodam primitus ad alacritatem ac diligentiam prolata stimulo: ut nostrates officium praestare iubent cui imperant „laufe“, acriores faces subdunt cui edicunt „mache dass du läufst“. Quae circumlocutio etsi ex parte est necessaria: fac velis Ov. Fast. IV, 226 (Graeci *ἐθέλησον ἀποκρίνεσθαι* Plat. Gorg. 449 B), tamen vehementius dictum reor: fac cogites (v. Pl. Most. I, 3, 59), in quanta calamitate sis Sall. Cat. 44, quam quod legitur apud alterum famosissimae istius epistolae enarratorem: cogita quem in locum sis progressus. Adde quod aculeis fit stimulosior admonitio: facitodum memineris Pl. Cas. III, 1, 9, fac sis bonae frugi sies Curcul. IV, 2, 35. Jam quo pacto huc ventum sit, apparebit. Ter. Hec. prol. 39 facite ut vestra auctoritas meae auctoritati fautrix adiutrixque sit, lasst euer Ansehen das meinige unterstützen; id. Heaut. V, 1, 52 fac te esse patrem ut sentiat, lass ihn dich als Vater erkennen; tum sublato arctioris iuncturae vocabulo Andr. III, 2, 3 fac istaec lavet, lass sie sich waschen. Jam quum eadem inducitur et subiecti et obiecti persona, universa ratio in aperto est: fac tu contra mihi respondeas, Pacuv. fr. p. 142, quod ad ceterorum similitudinem vertendum erit: lass dich mir antworten h. e. antworte mir. Facito ut venias ornatus Pl. Mil. IV, 4, 41, quo genere fabulae Latinae adeo exuberant, ut vix ulla careat pagina, abundant haud paucae: quamquam ne optimi quidem tergiversantur, Cic. ad Fam. VII, 4 fac ut in alium diem differas; Nep. Paus. 2 certum hominem ad eum mittas face. Memorabile est propter eiusdem verbi epanalepsin, quod Plautus proculdit Cist. I, 1, 64 facito ut facias stultitiam sepelebilem, Romanis, ut videtur, quam nobis tolerabilius.

Supersunt vetustioris declinationis reliquiae faxo, faxim, Pl. Amph. II, 1, 42 cuius ego hodie in tergum faxo expetant mendacia; ib. I, 3, 13 ego

faxim te Amphitruonem malis esse quam Jovem; Trin. I, 2, 184 pauci sint faxim qui sciant; Truc. I, 1, 43 faxim lenonum minus siet; ib. II, 3, 27 nulla faxim post dies paucos siet; Aulul. III, 5, 20 ego faxim muli sint viliores: sed in formula faxo futurum auctoritate superare videtur Pl. Amph. I, 1, 199 accipere faxo haud familiariter (Cas. V, 2, 24 cavebunt faciam); Afran. ap. Non. s. mitis: illi mitem faxo facient fustibus. Pl. Pseud. I, 1, 47. Asin. I, 2, 6. Capt. V, 4, 13. Poen. II, 14. Ter. Andr. V, 2, 13. Phorm. II, 1, 78. V, 9, 66. Eun. II, 2, 54 aliaque permulta; quamquam legitur subiunctivus Truc. II, 8, 13. Pseud. IV, 1, 39. Asin. V, 2, 26. Bacch. IV, 8, 23. Most. I, 1, 65. V, 2, 12. Men. III, 2, 16. IV, 2, 81, obsecundante Virgilio Aen. IX, 154. Qua de causa in Rud. II, 7, 20 utrum exarescant emendandum sit pro exarescunt, an exarescent, cum tantundem absit, nisi quid in Codd. sit subsidii, vix queat diiudicari. Neque alterum futurum vacat, Trin. I, 2, 22 faxo haud tantillum dederis verborum mihi. Capt. IV, 2, 21. Men. III, 2, 55. Poen. I, 2, 133. In quibus sublato regimine faxo *παρρησιάζω* dictum videtur.

Segreganda ab his, qualia Zumptius Gr. § 619, Spald. in Lex. Quinct. p. 325 contulere. Addere liceat Pl. Amph. I, 1, 30 facit ille ut quid se sit dignum sciat. Lucr. III, 925 hoc etiam faciunt ut ex animo dicant. Ov. Trist. III, 5, 53 spes superest facturum ut molliat ipse poenam. Ter. Andr. I, 1, 28 faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adiungant. Hecyr. II, 2, 2 ego tamen patrio animo victus faciam ut tibi concedam h. e. indulgebo, pergit enim: neque tuae libidini adversabor; paulloque aliter tornatum Cic. ad Attic. XVI, 15 noli putare, pigritia me facere, quod non mea manu scribam, sed Pl. Amph. I, 1, 276 factum est illud, ut ebiberim, in verbo emphasis est. Ad haec proxime accedit solennis gerundivi formula periphrastica: faciendum est nobis, ut ea, quae sua sponte Caesar iussit, comprobentur Cic. Phil. III, 3, v. Ramsh. gr. lat. p. 977. Herz. ad Caes. B. G. VII, 29.

III Evocaretur iam dationis verbum, evocaretur vocabulorum pariter euntium caterva, essetque secutorum verborum quae vocantur modificationis agmen, nisi metam videremus huiusmodi disputationibus constitutam: sed cum bono Deo resumemus orsa iterum facta publice scribendi potestate.

Evocaretur iam dationis verbum, evocaretur vocabulorum pariter euntium caterva, essetque secutorum verborum quae vocantur modificationis agmen, nisi metam videremus huiusmodi disputationibus constitutam: sed cum bono Deo resumemus orsa iterum facta publice scribendi potestate.